

## De libertate

Gaius Licoppe

Non pauci homines hodie proclamant regimen se orbare libertate ; satis frequentes incolae complurium Europaeorum civitatum per vias gregatim ambulant pannos vibrantes, ubi legitur verbum « LIBERTAS ».

Agitur de pandemia, qua totus orbis terrarum iam duos annos afficitur ; morbus eiusque agens infectiosus sunt novi et ignoti, mirandum ergo est quod, uno tantum anno peracto, vaccinum in promptu fuit ; inter alterum annum cives vocati sunt ad vaccinum bis accipiendum. Vaccinationis efficacia sine mora patuit, quare maxima incolarum pars vaccinum voluntarie accepit. Locus hic non est explicandi cur omnium vaccinatio, etiam iterata, ad pandemiam opprimendam necessaria sit.

Restat minima pars quae hanc necessitatem negat, neque flocci facit nosocomia valde periculoseque perturbata propter nimiam frequentiam aegrotantium curis intensivis egentium, quae nunc maximam partem constat e non vaccinis. Haec pars surda manet ad rationabiles dilucidasque explicationes. Medicus cum sim, res iam explicui vernaculo sermone et quoque Latino, sed saepe frustra. Est adagium Francogallicum, quod Latine sic reddi potest : « Nemo surdior audire nolente. »

Regimen, cui de sanitate publica curandum est, collegio hominum morborum viralium peritorum consulto, decernit homines non vaccinos a vaccinatis segregare multis in vitae occupationibus. Inde insana segregatorum ira, quibus solum argumentum est oratio libertatis.

Sic mihi in mentem venit exquirere quid re vera significavisset « libertas » in orbe Occidentali ab initio Romanitatis. Imprimis interroganda est etymologia.

In lexico etymologico auctorum A. Ernout et A. Meillet nihil certi legitur de origine adiectivi « liber », unde « libertas » ; sunt tamen docti, qui putent hoc vocabulum proximum esse ab adiectivo Graeco ἐλεύθερος et ambo vocabula a radice Indo-Europaea derivata esse, hanc tamen derivationem non optime respicere assuetas regulas. Liber, vetus Italica divinitas, postea Romae Baccho assimilata, non habet etymologiam magis perspicuam. Nihil certius invenitur in *Dictionnaire historique de la langue française Le Robert*.

In fasciculo periodici Consociationis Villelmi Budé anno 2015 edito, miram symbolam divulgavit Dylan Potage, Universitatis Liberae Bruxellensis doctor, cui titulus « A Libero ad Libertatem ».<sup>1</sup> De etymologia *libertatis* magis audacter scribit quam duo lexica supra citata ; pro certo enim habet eam et ἐλεύθερος originem trahere ex eadem radice Indo-Europaea, cuius prima significatio est « crescere », serius « populus » et inde « libertas ».

Adiectivum « liber » initio tantum dicebatur de homine non servo, sed quid significare poterat antiquum vocabulum « libertas » cum incohata est Respublica Romana ? Historici moderni auctores Romanos secuti sunt : agitur de populo Romano liberato ab extraneis Tuscis eorumque tyrannide. Recentiores vero indagatores iam non putant Romanos Tuscis hostiles fuisse, sunt e.g. gentes Tuscae in Fastis consularibus. Potestas regalis tunc transiit ab uno viro, « rege » vocato, ad duos consules, ut factum est in omnibus civitatibus Italicis circa Romam.

Ergo duobus primis Reipublicae saeculis nulla invenitur notio « libertatis populi Romani », sed tunc plebs rixabatur contra optimates, quibus solis erat potestas et notitia iuris ; plebeiis minabatur servitus, etiam mors, nisi pecuniam pro nexu sumptam solvere possent.

---

<sup>1</sup> Dylan Potage, « De Liber à *libertas* : naissance d'un concept politique à Rome », *Bulletin de l'Association Guillaume Budé*, Paris, 2015, 2, p. 128-143.

Titus Livius narrat Menenium Agrippam plebem anno 494 in Montem Sacrum secedentem apolo de membris et ventre placavisse;<sup>2</sup> tunc creati sunt tribuni plebis, at tamen eorum provocatio ad populum, « arx tuendae libertatis » a Tito Livio vocata,<sup>3</sup> plenum effectum non habuit ante annum trecentimum, quo data est lex Valeria.

Cur notio libertatis duo saecula mansit obscura? Dylan Potage novam explicationem eamque religiosam proponit. « Liber », interdum « Liber Pater », antiquus deus Italicus idemque Romanus, una cum dea Libera et Cerere colebatur in Aede Cereris anno 493 in monte Aventino dicata. Mirum non est Liberum, deum virorum liberorum, a plebe electum esse ut protectorem; templum Montis Aventini, quo colebatur, non longe aberat a vico populari Fori Boarii, et factum est sedes aedilium plebeiorum.

Libertas contra, persona et dea facta, templum non habuit ante annum 238, i.e. iam vergente tertio saeculo; de libertate enim non antea disseritur. In Ciceronis opere, c.t. Paradoxa Stoicorum (34), legitur hoc: « Quid est enim libertas? Potestas vivendi, ut velis. » Nolumus tamen credere haec verba congruere cum hodierna notione libertatis; Cicero enim addit: « Dictum est ab eruditissimis viris nisi sapientem liberum esse neminem » (33) atque etiam « Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recte vivit? » (34).

Libertas necessario lege definitur. Romani, assueti ad ritus religiosos scrupulose respiciendos, accuratissimam iuris scientiam elaboraverunt, quae merito habetur ut prima in orbe terrarum. Summa Romanarum legum iussu imperatoris Iustiniani sexto saeculo conscripta, Codex Iuris Civilis, exemplo erit posterioribus legislatoribus multarum civitatum usque ad recentia tempora.

In antiqua civitate Graeca cives sunt eius membra; numquam tunc cogitatur de singularum personarum libertate.

Romae per complura saecula religio et ius privatum tractantur a solis pontificibus, qui agunt ut sacerdotes et iurisconsulti. Ius tamen mature a fundamentis religiosis se liberat et fit ius humanum iam ante medium quintum saeculum, cum apparet Lex Duodecim Tabularum. Civitati pacem et ordinem sociale affert. Nullus tamen conflictus oritur inter religionem et ius; delictum impietatis non exstat in iure Romano; Tacitus scripsit: « Deorum iniurias dis curae ».<sup>4</sup>

Cum culpa in iure apparet, oritur e religiosa conceptione fati. Collegium augurum rite consultum quaerit quid sit fas et nefas; fas indicat harmoniam esse inter deos et homines; in spatio libertatis ex harmonia orto licet hominibus libere agere. Haec fati interpretatio valde differt ab ea Graecorum. Homo alicuius culpa insimulari potest, cum non praeviderit damna, quae ipse genuit libere agendo. In lege Aquilia de damno anno 286 data ad plebeiorum bona contra damna patriciorum protegenda, culpa est fundamentum responsalitatis civilis.

Status libertatis, servituti oppositus, spectat ad cives, sed quoque ad peregrinos; Romanum systema iuridicum affirmat et tuetur hominis dignitatem, nusquam tamen apparet quoddam ius personale neque inclinatio ad hominum aequalitatem.

Tempore aureae Latinitatis civibus Romanis erat licentia de religione libere cogitandi; omnibus licebat suam praelatam religionem exercere. Primum ex hac libertate aliquid abraditur, cum exeunte tertio saeculo Imperator Decius diversas Imperii gentes, quae iam secedere temptaverant, religare conatur vinculo divino: omnes cives iubet Imperatoris Genio sacrificare; cum christiani obstinate nolint sacrificare, id quod intellegere non potest, eos ut proditores persequi et ferociter punire decernit.

<sup>2</sup> Liv. II, 32.

<sup>3</sup> Liv. III, 45, 8.

<sup>4</sup> Tac. An. I, 73.

Constantinus I ineunte quarto saeculo Imperii membra iterum disiuncta laboriose in dicionem suam redigere valet; comperiens Decii diram christianorum persecutionem expectatum effectum non habuisse, christianis facultatem dat suum cultum libere exercendi. Ipse, cum putet christianorum deum sibi auxilio fuisse ad Maxentium vincendum – creduli et parum eruditi facti sunt potentes homines illius temporis – Constantinus ipse christianismo favet, putans, ut antea Decius, divinum vinculum aptum esse ad diversas Imperii gentes coniungendas.

Exeunte quarto saeculo christianismus Nicaeensis fit Imperii Romani unica religio, ab Imperatore Theodosio omnibus civibus imposita. Haec theocratia imperialis substituitur praecedenti libertati praelatum deum colendi.

In Europa occidentali, post Imperium ad finem quinti saeculi sublatum, clerus christianus plus minusve eruditus solus habet auctoritatem moralem.

De libertate, quid docet christianismus? Deus solus totam libertatem exercet; hominis libertas solum per Deum exercetur. Facultas eligendi « album » aut « nigrum », « bonum » vel « malum » est fallax, oportet enim homo christianus sciat se libertatem solum exercere, cum eligat viam per quam vivit secundum suam veram naturam. « Veritas liberabit vos » dixit Iesus, secundum Iohannis evangelium (8.32); altera via est letalis.

Notandum est idem fere iam dixisse Ciceronem, his supra relatis verbis: « Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recte vivit? » Apud Ciceronem recta via est sapientiam colere, apud christianos evangelica praecepta sequi.

De libertate servorum non curat christianismus, cum tunc eorum labore nitatur florens oeconomia; servi tamen, arbitrio Dei, hominibus liberis aequales sunt ac Paradiso aequae fruuntur, etiam facilius quam opulenti; in vita terrestri contra Deum servitutem sinit.

Primis Medii Aevi temporibus durae sunt hominum vitae condiciones, quas religiosa caritas et Paradisi promissum mitigant; vix supersunt homines eruditi et otio fruantes, qui de libertate cogitandi et disserendi curent.

In Occidente gentes Imperii tutela orbatae distribuuntur in minores partes, singulas modo feudali sui iuris. Septimo saeculo nova stirps Carolingorum unitatem regni Francorum restituit et in Germaniam extendit. Tunc, cum Romanum Imperium Orientale novo hosti Arabico paene succubisset, iam non poterat papam Romanum contra invasores Langobardos tueri. Carolingi se substituunt Orientalibus et Carolus Magnus Langobardorum regnum exstinguit. Gratias agens, anno 800 papa eum titulo « Imperatoris Romanorum » honestat eique coronam imponit.

Quid est libertas Medii Aevi temporibus?

Valde differt ab hodierna notione libertatis. Non agitur de statu personae humanae, sed solum de aliquo privilegii usu vel de potestate exercenda. Solum inde ab exeunte Medio Aevo gradatim apparet hodierna notio libertatis.

Aristoteles, ille Stagirites, doctorum mentes, quas vana loquacitas scholasticae consopiverat, expergeficit. Perpaucis eius opera post Antiquitatem in Occidente sunt accessibilia et scholastica solum Organon novit, cuius syllogismum immoderate adhibet. Alia Aristotelis opera duodecimo et tertio decimo saeculo iterum inventa sunt et in Latinum versa. Sine mora eius auctoritas fit eximia.

Aristoteles de « lege naturali » in compluribus operibus disserit; in primo capitulo secundi libri operis c.t. Magna Moralia (Ἠθικὰ μεγάλα) scribit in casu, quo ius humanum deficiat viro honesto, numquam praetermittenda esse iura a natura collata, quae sint vera iura.

Iam octavo saeculo in islamico Imperio Abbassarum Aristotelis auctoritas maxima facta est, postquam eius opera Bagdadi in Arabicum translata sunt. Fuerunt tunc docti, qui religionis mahometanae scripta Aristotelico rationalismo commentari coeperunt; his, « motazilitis » vocatis, favit califa al-Ma'mun, qui eorum doctrinam anno 827 publicam fecit et quinque annis post Domum Sapientiae creavit, ubi docti cum mahometani tum christiani et iudaei invitabantur ut tranquille laborarent et philosophiam Graecam apud doctos Persas et Arabes diffunderent. Motazilitarum doctrina respuit anthropomorphismum divinum, refutat coranum increatum esse atque affert liberum arbitrium.

Hoc valde excitabat religiosorum iram et califae paulatim eis submissionem docentibus favere maluerunt, quare motazilitismus post tertium decimum saeculum paulatim exstinctus est. Idem in Occidente non evenit.

Unus e clarissimis Aristotelis translatoribus, Vellelmus de Moerbeke, una cum dominicano Thoma Aquinate ex oblivione vindicavit vocabulum « democratia ». In *Sententia* enim *Libri Ethicorum* Thomas Aquinas scribit haec: « Nam in politia democratica, in qua populus totus vult dominari... » (et cetera).<sup>5</sup> Apparet etiam notio « aequalitatis » civium.

Vocabulum tamen « democratia » solum adhibetur, cum agitur de antiquorum regiminibus. Multo serius tantum haec notio recenti regimini applicabitur.

Apud Aristotelem Dei notio, a mythologia et anthropomorphismo liberata, fit speculativa; Deus est principium, quo creantur atque ordinantur omnia in Universo. Quo lecto, Thomas Aquinas in opere *Summa theologiae* inscripto doctrinam christianam conciliare conatus est cum Aristotelis commentis.

Quamquam religio parvi momenti non est in historia libertatis, argumentum meum praecipue spectat ad eius aspectum politicum.

Marsilius Patavinus de doctrinae veritate interrogat oraculum sapientiae paganae, divinum Aristotelem, ut ipse scribit. In opere *Defensor pacis*, una cum Iohanne de Jandun quarto decimo saeculo Parisiis edito, scribit modo scholastico « Civis quilibet participat aequaliter principatu vel consiliativo vicissim iuxta gradum et facultatem ceu condicionem ipsius ». <sup>6</sup> Hoc tamen scriptum est cum inter se rixantur papa et imperator ad papae « plenitudinem potestatis » reprehendendam.

Aristoteles mentes Occidentalium expergeficiens induxit aetatem rationalem. Quinto decimo et sexto decimo saeculo humanistae doctrinarum veritatem quaerunt in earum fontibus; etiam litterae artesque renovantur; est aetas hodie Renascentia vocata.

Deinde liberatae mentes invenire et creare non desinunt. Septimo decimo saeculo Galileus scientiam modernam inaugurat. Sola regimina politica manent immutata; manet principum potentia absoluta, manent privilegia nobilium, tam superbiorum quam parasitorum. Ecclesia Romana mordicus defendit sua dogmata et privilegia contra evidentiam recentium scientiarum inventorum.

Iohannes Locke, philosophus septimi decimi saeculi, novam notionem « legis naturalis » affert. Naturaliter, ait, homines sunt personae, non tantum membra alicuius societatis; nullus alicui naturaliter submittitur. In hoc statu naturali homines sunt liberi et aequales. Nulla hominis submissio exstat in statu naturali, quia inter homines nulla est distinctio, cum omnes easdem habeant facultates.

<sup>5</sup> Thomas Aquinas, *Sententia Libri Ethicorum*, liber V, lectio 2, 2.

<sup>6</sup> *Defensor Pacis* I, 8, 3.

Saeculum Luminum, ut vocatur duodevicesimum saeculum, optime definit Emmanuel Kant : homo desinit alieni arbitrii esse, sed fortiter audet ipse sua mente uti. « Sapere aude ! », ait, Horatium sequens ;<sup>7</sup> haec est Luminum sententia.

Tunc quoque dicitur civitatis regimen secundum legem naturalem constituendum esse. Eius leges a principe non emanant, sed regiminis potestas emanat e legibus.

Non omnes vero notionem « iuris naturalis » accipiunt.

Blasius Pascal dicebat leges naturales et universales ratione demonstrari non posse.

In Encyclopaedia, quam Diderot et d'Alembert anno 1782 in lucem edere coeperunt, in articulo de iure naturali legitur fere hoc : « Ex omnibus moralibus notionibus ea 'iuris naturalis' maximi momenti est, sed quoque difficillime ratione confirmatur. » Iam tunc haec notio moralis esse dicebatur, non rationalis.

Iohannes-Iacobus Rousseau, strenuus fautor iurum hominis, quae dicit naturalia, tamen conscius est hunc statum naturalem fortasse numquam exstitisse.

Primum regimen democraticum cum suffragio universali anno 1755 in Corsica institutum est et exemplo fuit generali Lafayette et Thomae Jefferson ad legem fundamentalem regiminis foederalis novae reipublicae Unitorum Statuum Americae conscribendam, postquam anno 1776 a dominatione Anglorum se liberaverunt. Declaratio iurum potestatem regiminis foederalis finit atque iura civium enuntiat, quibus confirmatur libertas loquendi, edendi, cunctiendi, possidendi, arma gerendi, necnon libertas religionis eligendae.

Tribus annis post in Francogallia, tunc valde perturbata magna rerum eversione, plerumque « Revolutione » vocata, a regimine proclamatur « Declaratio iurum hominis et civis ».

Hae ambae Declarationes spectant ad solos viros ; feminae enim nondum fruuntur iuribus virorum, sed modo patriarchali in tutela patris deinde mariti vivunt.

Duobus tamen annis post « Declarationem iurum » inter Revolutionem proclamatam, anno 1791 scriptrix Olympia de Gouges libellum divulgat similem Declarationis virorum, sed ad iura feminarum et femininarum civium spectantem, qui in magno Coetu legislativo adoptaretur. De eo in Coetu ne disputatum quidem est et Olympia de Gouges duobus annis post obruncata est novo supplicii instrumento « guillotina » vocato.

« Declaratio universalis iurum hominis » anno 1948 in Organizatione Nationum Unitarum membrorum suffragiis comprobata nihi novi affert.

Eisdem quoque principiis nititur « Charta iurum fundamentalium », quam Unio Europaea omnibus membris suis imponit ; in tres partes divisa est, iura civilia, iura politica et iura oeconomica socialiaque.

Iura naturalia, quibus nituntur iura hominis, oriuntur ex aspectu stricte personali generis humani, qui antiquitus ignotus erat et nunc vocatur « individualismus ». Infeliciter individualismus secessionem a societate humana inducit et haec secessio hodie « egoismus » dicitur. Sed iura, quae singulorum civium libertatem firmant, nemini licentiam dant ceterorum libertatem restringendi ; hoc saepe omittitur, ut hodie a non vaccinatis.

Libertatem et ius regimen suffragiis moderandi inde a duodevicesimo saeculo non sine labore et dolore adepti sunt cives Occidentalium civitatum, imprimis viri, multo serius feminae. Hoc tam pretiosum ius suffragandi continet necessitatem comitiarum sessiones adeundi, quam neglegunt semper plures homines ; merenturne isti nomen civium ?

Egregiae feminae duodevicesimo saeculo flagitare coeperunt feminarum ius suffragandi. Undevicesimo saeculo insuper voluerunt a societate patriarchali liberari, i.e. tutelam patris, deinde mariti, excutere atque accessum habere ad eandem institutionem easdemque

---

<sup>7</sup> Hor. Ep. I, 2, 40. E. Kant, *Was ist Aufklärung ?*, 1784.

professiones ac viri. Sed societas patriarchalis tam inveterata est, ut earum scopus lente tantum et gradatim ad effectum ducatur.

Mythos Evae ex Adami costa a Deo fictae excogitatus est a viris ut eorum dominatio sigillo divino firmaretur. In Natura re vera feminae potius pariunt viros. In Creta secundo millennio a.Ch.n. floruit cultus civilis Minous, primus in Europa ; ibi erat matriarchatus ; hoc eo fieri potuit, quod Cretenses nullum exteriorem hostem timentes pacifice vivebant. Contra fere omnes gentes in continenti saepe migrabant et bellicosae factae sunt ; eorum viri maioribus viribus physicis natura praediti quam feminae, systema patriarchale imposuerunt. Hodie technici progressus effecerunt ut intellegentia plus valeret quam vires physicae et eadem intellegentia fruuntur feminae et viri.

In nostro cultu civili vir non dubitabat quin sui corporis omnino compos esset, sed quoque volebat de feminae corporis usu solus discernere ; ei licebat eam inseminare et deinde eam cogere fructum parere, etiam si ab ea non optatum vel ei vi impositum. Hodie in civitatibus occidentalibus non paucis voluntarius abortus adhuc lege vetatur. Sic est in insula Melitensi, cuius civis Roberta Metsola, advocata, diploma Brugensis Collegii Europaei nacta, modo Praeses Parlamenti Europaei electa est. Res mira, haec femina abortum non comprobatur, sed, inter decem condiciones ei impositas ut eligeretur, una haec est, ut iura feminarum de sanitate sexuali et generatoria in omnibus Unionis Europaeae civitatibus eadem fiant ac in civitatibus ubi iam maximam libertatem conferunt.

Tempora vitaeque condiciones mutari non desinunt, quare oportet leges ad mutationes aptare. Antiquitus « crescite et multiplicamini », ut legitur in Genesi, necessarium erat ; proli enim minabantur bella et morbi. Progressus hygienae et medicinae vicesimo saeculo effecerunt ut immoderate cresceret numerus mundi incolarum ; in priore dimidia parte vicesimi saeculi Terra tria miliarda hominum sine nimio Naturae detrimento facile alere poterat ; cum hodie, uno saeculo post, octo miliarda facti sint, eos alere magis magisque difficile fit et Natura fera inexorabiliter exstinguitur. Politici caeci vix operam dant ad radicem mali extirpandam, ad ignorantiam scilicet praesertim feminarum tollendam, apud permultas frequentesque mundi gentes. Sunt hodie hebetes homines, qui incolis prosperiorum civitatum, ubi iam diu numerus incolarum non crescit, potius suadent ut vescantur carne et pisce artificiose ex vegetalibus ficto, quin etiam ut comedant spagellos vermibus fabricatos...

Ad finem faciendum elegi hanc libertatis maximam orbationem, qua fit ut iuniores in scholis hodie careant humana institutione ; programmata institutionis a regimine omnibus scholis nostris imposita magis magisque spectant ad discipulos ita docendos, ut solum utiles fiant in immensa machina oeconomica hodiernae societatis humanae. Perversi effectus iam manifestantur...

Multa de libertatis usu in democratia supersunt dicenda, sed vestra patientia abuti nolo.

Dixi.